



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi**

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos  
Distributa

**Illsung, Jakob**

**Dilingæ, 1693**

Meditatio CCCXVII. Continuatio ejusdem Parabolæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

## MEDITATIO CCCCXVII.

*Continuatio ejusdem Parabola.*

Matth. 25. v. 18.

**PUNCTUM I.** *Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam Domini sui. In terram Talentum suum abscondit, qui tantum terrena sapit, & terrenas voluptates, ac honores querit, qui terrenis curis, ac sollicitudinibus Auxilia Gratiae obruit, qui animum raro ad Cælestia erigit, qui abutitur ad terrena tantum sectanda illo Psalmistæ versiculo Ps. 113. v. 16. Cælum Cæli Domino: terram autem dedit filiis hominum.*

**PUNCT. II.** *Accedens autem, qui unum Talentum acceperat, ait: Domine, scio, quia homo durus es, & metis, ubi non seminasti, & congregas, ubi non sparsisti: & timentibus, & abscondi Talentum tuum in terra: ecce habes, quod tuum est. v. 24. Considera, causam desidiæ, & Acediæ Spiritualis esse, non rectè sentire de DEO, & vel in desperationem propter imaginationem nimiae Severitatis, vel in præsumptionem propter imaginationem nimiae Lenitatis induci. Ideo Sap. c. 1. v. 1. medium tenere jubemur: *Sentite de Domino in Bonitate, & in Simplicitate cordis quarite illum: perverse enim cogitationes separant à DEO.* Considera etiam, quam falsum & cæcum fuerit iudicium hominis pigri de Domino, sive DEO suo: ipsum enim Talentum acceptum fuit sparsum à Domino semen lucri, per ipsum servum faciendi. Tu ergo Auxilia Gratiae agnosce Bonorum Operum semen esse, & pro his Bonorum Operum segetem esse reddendam. Falsum etiam est, DEVM esse Dominum*

Dominum durum, cui satisfieri non possit; homines enim potius sunt domini duri, & tamen illis servitur cum magna diligentia: Deus verò contentus est solo nostro conatu, modò faciamus, quantum possumus. Observa tamen, DEVM in aliquo sano sensu admittere comparisonem sui cum homine *Duro*, sive *Austero* Luc. c. 19. Et ideo etiam hîc, in persona hominis *Duri* à servo appellati, dixit ei: *Serve male & piger, sciebas, quia meto, ubi non semino, & congrego, ubi non sparsi &c.* v. 26. Quia exigit à servis suis etiam fructus propriæ illorum *Industriæ*. Itaque *Auxilijs Gratia Divinæ* respondeat propria *Industria humana*.

PUNCT. III. Respondens Dominus ejus, dixit ei: *Serve male, & piger* (hæc Pæna vituperij opponitur laudi *Servi Boni Fidelis*) *sciebas, quia meto, ubi non semino; & congrego, ubi non sparsi: oportuit ergo te committere pecuniam meam numularijs, & veniens ego recepissem utique, quod meum est, cum usura* (nempe cum lucro ex *Industria* tua redundante) *Tollite itaque ab eo Talentum &c.* (Ecce altera Pæna, quâ condemnati privantur *Auxilijs Gratia Supernaturalis*, ut per totam *Æternitatem* nequeant præstare *Fructus dignos Pænitentiæ*) *& inutilem servum eijcite in tenebras exteriores: illic erit fletus & stridor dentium.* Hæc tertia Pæna est. Sicut enim *Servus Bonus & Fidelis* jubetur intrare in *Gaudium Domini*, quod est *Visio Beatifica*; sic *servus malus & piger* eijcitur in oppositas tenebras, nempe in privationem *Visionis Beatificæ*, quæ vocatur *Pæna Domini*: & sicut *Gaudium Servi Boni* tantum est, ut non ipsum *Gaudium* in *Servum*, sed *Servus* in *Gaudium* intrare dicatur; ita illa Pæna Damni

tanta

tanta est, ut servus malus in tenebras eijci dicatur, & ex exteriores appellentur, circumdantes servum, quibus additur *Pana Sensûs*, sensibili signo fletus, & fridoris dentium indicata. Factâ itaque comparatione inter Præmium Servi Boni, & supplicium Servi mali territus, noli Talenta tua in terra abscondere.

## MEDITATIO CCCCXVIII.

### *Christi Judicis Majestas, &*

*Sententia. Matth. 25. v. 31.*

**P**UNCTUM I. *Cùm autem venerit Filius Hominis in Majestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super Sedem Majestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes Gentes. Prius venit Filius Hominis in Humilitate sua, desertus ab hominibus, jacens in Præsepio abjectionis suæ, imò pendens in infami Ligno Crucis suæ. Vides ergo, quantus Honor in altera Vita rependatur pro Humilitate hujus vitæ. Sic bona & honores temporales relinquentibus ipse Christus promisit Matth. 19. v. 28. Amen dico vobis, quòd vos, qui secuti estis me, in Regeneratione, cùm sederit Filius Hominis in Sede Majestatis suæ, sedebitis & vos super Sedes duodecim, judicantes duodecim Tribus Israël. Considera etiam, cùm Extremum Judicium instituat coram omnibus Angelis & Hominibus, quantus sit futurus publicus Honor illis, quorum internæ Virtutes & Bona Opera, in occulto facta, omnibus manifestabuntur: econtrariò quanta ignominia illis, quorum interna, vel occulta peccata publicè prodentur, quæ coram uno homine fateri, vel patrare erubuissent. Et quidem ipse Supremus*

Judeus